

est, fuit tamen & erit, quomodo v. g. corpus Abrahami in extremo die reproducendum, est futurum (2.) pro eo quod nondum est, nondum fuit, sed erit; quomodo v. g. in numero futurorum est homo post mensem generandus.

§. 22. In nostra quaestione non intelligimus futurum in primâ & secundâ acceptione Doctoris subtilis, sed in tertiâ. De eo quaeritur quid sit? *Petrus Hurtadus de Mendoza disp. 9. de anim. sect. 6. subsect. 1. §. 36. p. m. 124.* abstractum ejus, futuritionem, dicit esse existentiam rei in instanti sequenti connotando carentiam sui in instanti præsentis: *Georgio de Rhodes theol. Schol. tom. 1. tr. 1. dis. 3. q. 3. sect. 1. est coexistentia rei & temporis sequentis.* juxta Hurtadum ergo Futurum est, id quod existet in instanti sequenti connotans carentiam sui in instanti præsentis. Juxta Georgium vero est id quod coexistet temporis sequenti. Præferenda tamen videtur descriptio Hurtadi. Nam si ei, quod verba important insistere velis quicquid etiâ sit de mente ejus, descriptio Georgii de Rhodes competet futuro etiam in prima & secunda Scoti acceptione significato. Etenim & Deus & Cælum sunt aliquid quod coexistet temporis sequenti, & quicquid coexistit *Nunc* præsentis, supposito quod duraturum sit, coexistet utiquè *Nunc* sequenti. *Mendozæ* autem descriptio non nisi de futuro in tertio significato Scoti verificari potest.

§. 23. Sed non possumus diffiteri, quod etiam *Mendozæ* descriptio, nisi de futuro in tertiâ significatione Scoticâ, prout præscindit ab eo quod nec est, nec fuit, sed erit, & ab eo quod fuit, non est, sed erit, intelligatur, vix satisfaciat, nihil enim aliud importat quam rem quæ nunc non est postea tamen erit. Et si futurum ita quis sumat, ei ex assè satisfaciet. Quod si verò aliquis illud demum futurum dicat quod nec fuit unquam, nec est, sed aliquando erit, illi non poterit satisfacere, cum nihil neget quam existentiam rei in *Nunc* præsentis. Et sic dici forsan posset: Futurum esse id quod nec fuit, nec est, sed erit; futuritionem autem esse existentiam rei in instanti sequenti, connotando carentiam ejus in instanti præsentis & præterito. Sed hæc dependet ab acceptione $\tau\delta$ futuri.

§. 24. Cum autem futurum, ut vidimus, adhuc in nullitatis statu lateat, & ab eo per aliquod principium in actum entitativum sit vel esset reducendum, pro ratione hujus Principii, futurum suam quoque sortitur denominationem, ita ut si Principium sit ex nume-